



Annus,
9^{vo}
Desuper
Cupit 9 Vivis
Meliora!

Symb.
Quaer Beförderung!
Iud. VIII, 22

Khronica
Zachariae
P. HV.

Sammelband

4 152

+

15
74
M. MENTHONIS DEICHMANI
EPISTOLA,
PRO
MINISTRORUM
VERBI CONJUGIO.

Ad
HERMANNVM
DEICHMANUM,

Verbi Divini Ministrum RONNEBERGENSEM,
FRATREM:

Cum egregia ac lectissima Virgine
MARGRETHA,

Viri Reverendi, Clarissimi atque Doctissimi Dn.

M. JUSTI MULLERI, ECCLE-
siae ac Superintendentis Ronnebergensis
p. m. optimè meriti, nuptias celebrantem.



HANNOVERÆ,

Typis exscripsit Joh. Fridericus Glaserus,

Anno cl^o l^o c XLVI.

Salvete

SALVETE M.



Quod tu optime Frater, hodie contrahis matrimonium, illud ego tibi felicissimum precor, ceterum non ignoras, in quem censum pontificæ Ecclesiæ Doctoribus ejusmodi matrimonia veniant, eorum videlicet, quæ scortationibus, adulterijs, incestibus nihilo sint meliora, quid dico meliora? imò longè deteriora, quapropter & anathemate illa damnare consueverunt. Sed age videamus quid S. Scriptura ijs in locis, ubi ex professo hanc materiam tractat, doceat. Et verò Paulus tam distinctè & clarè adserit, Episcopos aliosque Ecclesiæ Doctores in matrimonio vivere posse, ut scilicet illi non porreat, hoc quid non capiant. *Oportet Episcopum irreprehensum esse unius uxoris virum*, scribit ad Timotheum, *qui suæ domui benè præsit, qui liberos habeat obediētes cum omni reverentiā.* Quod de Episcopis dixit idem de Diaconis eopse capite hunc in modum subiungit: *Diaconi sint unius uxoris mariti, qui liberis rectè præsent & proprijs domibus.* Quod Paulus Tito suo, quem in Creta reliquerat, præceptum dedit, sic habet: *Constituas Presbyteros oppidatim sicut ego tibi ordināram, si quis est inculpatus, unius uxoris vir, liberos habens fideles.* Ex quibus Apostoli verbis ejusmodi formatur argumentum: Quem oportet esse unius uxoris maritum, liberos fideles habere, ijsque ac proprijs domibus rectè præesse, illi utique licet in matrimonio vivere. Atqui Episcopum, Presbyterum, Diaconum oportet esse unius uxoris maritum, Ergo, &c. Major per se satis patet, minor est ipsius Pauli, cuius verba cum adversarij negare non audeant, sensum

1. Tim. III. 2.4.

Tit. I. 5.6.



tamen interverrere solique nebulas offundere conantur, dum nonnulli per uxorem intellexerunt Ecclesiam, ut sensus verborum Pauli sit, Episcopum non debere præesse pluribus sed unum tantum Ecclesiæ, nec ab illa una transire ad aliam uti nec maritus uxorem relinquere & aliam ducere debet. Verum hæc literalis expositio nullo modo haberi potest. Ex sequentibus enim satis patet Apostolum loqui de uxore, ex qua liberos Episcopus suscipiat, quæque rei familiaris curam gerat, opponit enim Ecclesiæ gubernationem domesticæ curæ seu œconomiz his verbis: *quod si quis propria domui præesse non novit, quomodo Ecclesiam DEI curabit?* Antequam autem progrediar, notetur quando Apostolus dicit, *oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, hoc non sic intelligendum, quod necesse sit, quemlibet Episcopum esse conjugatum, sed si quis Episcopus velit uxoratus esse, illi conferre Apostolum licentiam uxorem ducendi, non autem ut pluribus consuescat uxoribus uno tempore vel alteram repudiet, alteram habeat, quemadmodum apud Judæos factitatum fuerat, sed uni uno eodemque tempore cohabitet. Quemadmodum hoc exponit Chryso-

Homil. 10
in 1. Ep. ad
Timoth.
mus, *cujus verba à Wolfgango Musculo versa adscribo: Non hoc veluti sanciens dicit, quasi non liceat absque uxore Episcopum fieri, sed ejus rei modum constituens. Judæis quippe licitum erat, etiam secundo matrimonio jungi, & duas itidem habere simul uxores. Notetur & illud, nos non contemnere nec damnare illos, qui per DEI gratiam possunt & volunt cœlibes manere, sed potius summis laudibus illos extollere, magnoque honore afficere, nec conspiramus in eandem farinam cum Joviniano, alijs, quod Lutherum fecisse dicit, sed falsò Conradus Clingius in locis communibus theologis, multi que hodiè nos facere clamant. Sed redeamus ad Chrysostrum, qui modò adductis verbis hæc subjicit: *Quidam, inquiens, hoc ita intelligunt, ut scilicet ad Episcopatum is adsumatur, qui unius fuerit uxoris vir.**

Lib. 3. cap.
37.

vir, seu qui defunctâ uxore ad secundas nuptias etsi per leges
expermittantur, non transierit, uti pluribus idem commenta-
tur in Epist. ad Titum. Scilicet existimârunt veterum nonnul-
li, iteratas nuptias nescio quid in continentia redolere, in Epi-
scopum autem ne vel minimam suspicionem cadere volebant
propter muneris quod sustinet eminentiam hinc invaluit opi-
nio, *maritum duarum post baptismum matronarum Clericum*
non ordinandum, ut loquitur Gennadius Massiliensis Presbyte-
ter. *Antequam ordinetur, unam uxorem debet habere ut non*
sit bigamus aut trigamus, scribit Haymo Halberstaden-
sis Episcopus. Verum quod mens Apostoli non sit arcere ab Episco-
patu illos, qui ad secunda, & si ratio ferat tertia vota transeunt,
jam audivimus, præterea etiam præter scripturam conscien-
tias constringere nefas est, in ea autem *nullibi secundam nume-*
ro uxorem habere prohibetur, (quæ Ambrosij verba sunt) deni-
que qui secundam ducit uxorem, is duarum uxorum maritus
dici non potest, sed unius tantum cui cohabitavit, defunstarum
enim maritus amplius non est.

Cæterum quia hac non succedit viâ aliâ aggrediuntur, vi-
delicet dicunt Paulum docere, ut is eligatur qui unam habue-
rit uxorem, post electionem verò contineat ab uxore seu peni-
tus abstineat ut Haymo & Clingius dictis locis loquuntur. At
verò si hæc expositio locum habere debet, habebit & illa vide-
licet Paulum velle non ut Episcopus amplius irreprehensus,
vigilans, sobrius, &c. sit, sed qui talis olim fuerit, ut enim verba
antecedentia *irreprehensum esse & sequentia vigilantem, &c.*
intelligenda sunt, sic etiam intermedia *unius uxoris virum.*
Secundò verba in sacris literis eandem sustinent significatio-
nem, quàm in vulgari sermone habent, jam verò dicere, ali-
quem esse maritum, cui ad uxorem accedere nunquam liceat,
qui que ad eò utendæ uxoris jus non habeat inauditum hacten-
us fuerat, & si Apostolus sic voluisset intelligi, nullo modo po-

A 3 tuisset,

Homil. 2.

lib. de do-
gmat. Ec-
cles. c. 72.
Interpr. in
1. Tim. 3.

Coment.
in 1. Tim. 3

tuisset, quia autem verisimile imò certissimum est Apostolum eo sensu voces usurpasse, quo hominum conceptus super eas ferebantur, verisimile imò certissimum etiam illud evadit Paulum, non id quod Pontificij sed quod nos volumus significasse, uti egregiè hæc [ut omnia] Cl. Calixtus præceptor noster æter-

Pag. 41. nùm venerandus exponit tract. de Conjugio Clericorum. Cu-

42.

Pag. 47. *autem non habet, is non est jam unius uxoris maritus, sed nullius atque adeò viduus, relata enim se mutuò ponunt & tollunt, sublata igitur uxore, tollitur correlatum, quod est maritum esse.*

Denique ipsa Pauli verba satis evincunt intelligendose esse Episcopos, Presbyteros & Diaconos qui in matrimonio perseverent, *Unius enim uxoris vir* idem sonat, quod uxorem habens; inter virtutes ponitur, *ut sciat sua domui præesse; constituas si quis est unius uxoris vir, oportet Episcopum esse unius*

1. Tim. III
v. 11.

uxoris virum, ut taceam quod Paulus describat, quales mulieres esse debeant Episcoporum, aliorumque Ecclesiarum Doctorum videlicet modesta, non calumniosa, sobria, fide in omnibus, Quod supervacaneum fuisset, si uxores dimisissent cum non-entis affectiones dari nequeant.

Consideret hæc Costerus alijsque matrimonij Clericorum Enchirid. reprehensores, audiant insuper Gennadium Massiliensem & controv. detestari nuptias cessent, *Dicere nuptias fornicationi comparandas aut stupro (verba sunt Gennadij) non est Christianorum sed proprie Hierarchitarum & Manicheorum.* Quibus paria leguntur apud Irenæum, quæ legant anathemate innodantes Pontificij uti & illa quæ in notis ad Gennad, Elmenhorstius ex Concil. Bracarenfi cap. XI. adducit, quæ sic se habent: *Si quis*

lib. I. adv. *conjugia humana damnat & procreationem nascentium perhor-*
hæc. c. 31. *rescit, sicut Manichæus & Priscillianus dixit, anathema sit.*

Sed videamus etiam Christi Servatoris Apostolos & discipulos & si Scriptura testatur illos etiam rei uxoriæ operam dedisse,

dedisse manibus & oculis patebit, nec hodiè Clericos peccare, quod uxores habeant.

De Ferro autem omnium Apostolorum ore totiusq; consor-
tij vertice res clara est, Matthæus enim socrus mentionem fa-
cit: *Cum venisset Iesus (inquiens) in domum Petri, vidit socrum
illius decumbentem & febricantem.* Eadem habet Marcus &
Lucas. Si verò socrum habuit Petrus, habuerit & uxorem ne-
cesse est, cum socrus sine uxore nullo modo intelligi queat.
Disce hic, scribit Theophyl. ad Matthæum, *quòd nuptie non à
virtute prohibent, princeps enim Apostolorum socrum habuit.*
Non possum quin adscribam verba Jacobi Fabri Stapulensis ad
Marcum, qui sic ait: *Hoc factum de socru Petri, hoc est, de matre
uxoris ejus, narrat Matthæus cap. 8.* Ad Matthæum: *Socrus
Petri erat mater uxoris Petri, quam quidem uxorem & ipse Chri-
sti fide flagrantem postea premisit ad martyrium.* Quæ postrema
verba Stapulensis transtulit ex Eusebio, qui ex Clemente Ale-
xandrino supplicij uxoris Petri meminit & quomodo eam ad
constantiam in fide hortatus sit, hisce verbis: *Ajunt, inquit (Cle-
mens) beatum Petrum vidisse uxorem suam duci ad passio-
nem, gavisum esse electionis gratiâ ac regressioni ad propriam do-
mum & exclamasse ad eam cum duceretur & proprio nomine com-
pellantem dixisse: O conjunx memento Domini.* Quo eodem
capite Eusebius dicit: *Petrum & uxorem habuisse & filias viris
nuptum dedisse.* Quæ etiam Nicephorus de Petri conjugio scri-
bit, leguntur apud eum lib. 2. cap. 44.

De Philippo Evangelista Lucas in actis ejusmodi profert
verba, ex quibus liquido itidem patet Philippum conjugem ha-
buisse: *Ingressi domum Philippi Evangelista, qui erat unus è se-
ptem (diaconis) mansimus apud eum, huic autem erant quatuor fi-
liae virgines prophetantes.* Jam verò si Philippus filias habuit &
viris nuptum dedit, ut & de eo Eusebius d. l. testatur uxorem
habuerit necesse est, cum filias habere, uxorem tamen non ha-
bere vel habuisse dictu absurdum sit.

Chryso-
st. hom. 55.
in Matth.
cap. 19.

c. 8. v. 14.

c. 1. v. 30.

c. 4. v. 38.

cap. 1.

Lib. 3. hist.
Eccl. c. 30.

c. 21. v. 8. 9

Reli-



Reliquos Apostolos etiam rei uxoriae operam dedisse ipse
 1. Cor. 9. Paulus testatur ad Corinthios sic scribens: *Annon habemus po-*
 v. 5. *testatem sororem mulierem circumducendi, quemadmodum &*
ceteri Apostoli & fratres Domini & Cephas. Non quidem
me fugit solere adversarios per mulierem ab Apostolis circum-
ductam intelligere mulieres fideles ac opulentas, quae Apосто-
los sectantes iisdem ad vitae sustentationem necessaria de suis
bonis suppeditarint, ut eò commodiùs docendi muneri vacare
possent, qua in sententia video esse Ambrosium in allegata ver-
ba sic commentantem: Mulieres desiderio doctrinae dominicae
& cupida virtutum sequebantur Apostolos, ministrantes eis &
sumtus & servitia, sicut & Salvatorem sunt secuta ministrantes
 Coment. ei de facultatibus. Huic adstipulatur Haymo dum verba Paul-
 in 1. Cor. li sic interpretatur: *Fideles mulieres habentes terrenam substan-*
 9. *tiam, ibant cum Petro alijsq; Apostolis Iudaorum ministrantes eis*
de substantia sua, quae necessaria erant, sicut Maria Magdalena &
Martha, aliaq; mulieres, quae secuta erant Dominum de Galilaea,
sequebantur illum ministrantes ei. Quod beatus Paulus Aposto-
lus non faciebat, qui gentilibus praedicandi causa non timide-
ret, tamen non ducebat mulieres secuta, ne scandalum crearet apud
gentes, quarum magistri & praepositi hanc consuetudinem non
habebant. Haecenus Haymo. Matthaeus & Lucas testantur
 c. 28. v. 55. *mulieres pias Christum comitatas fuisse eiq; ministrasse, cum*
 c. 8. v. seq. *in Palaestina doceret, quod vel inde eo magis factum est, quod*
Christi mater unà Christum sequebatur, quodq; illae mulieres
neminem inveniebant, qui sic veritatem doceret atq; Christus.
Cæterum nullibi legimus ejusmodi opulentas mulieres Apo-
stolos secutas esse, qui in remotissimas regiones, ut historia re-
stat, secesserunt, sanè si singuli singulas circumduxissent,
quod ex Pauli verbis consequitur, suspicio orta fuisset, illos scor-
ta circumduxisse, atque hoc ipso Evangelium malè audivisset
tàm apud Judaeos quàm apud gentes, quod Apostolos omni
 studio

studio cavisse existimo, vox etiam *circumducere* jus denotat
 quod maritus habet in uxorem, ad honestas autem mulieres
 quæ uxores non sunt, extendi non potest. Urgeri etiam solet,
 quod Græcus textus habet ἀδελφὴν γυναῖκα sororem mulierem,
 sed phrasi scripturæ usitatâ per sororem intelligitur fidelis seu
 Christiana quæ in Deum Patrem ejusque Filium credebat, quæ
 eadem scriptura per vocem γυναῖκα intelligit uxorem, uti & a-
 pud Latinos vocabulum *mulier* capitur, *Γυνή* utrumque signifi-
 cat & uxorem & mulierem, dicit Haymo. Unde etiam Latinus
 interpres Uxorem vertit. Addo & illud: Quemadmodum Pe-
 trus sororem mulierem circumduxit, sic & reliqui Apostoli &
 fratres Domini, At qui Petrus sororem mulierem, id est, uxo-
 rem secum circumduxit ut ex superioribus patet idem igitur &
 reliquos fecisse patet. Consideret hæc Baronius & desinat nos
non novatores incontinentes vocare, quòd per mulierem ab Apo-
 stolis circumductam uxorem intelligimus. Audiatur & hic O-
 rigenes qui de Apostolorum conjugio sic scribit: *Verùm quo-*
niam videmus nonnullos sanctorum, aliquos etiam Apostolorum
habuisse conjugia, non usq̄, quæq̄, possumus de sola virginitate sen-
tire, scil. quod sola sit hostia Deo placens. Autor sanè comen-
 tarius in 2. Cor. xi. qui vulgò Ambrosius putatur, sentit omnes A-
 postolos uxores habuisse excepto Ioanne & Paulo. Ignatius Anti-
 ochenus Episcopus & Apostolorum discipulus in Epistola ad
 Philadelphenses scribit etiam Paulum nuptijs operam dedisse,
 cujus verba prout Latinè versa emendavit Nicol. Vedelius ad-
 scribo: *Opto ut dignus sim in regno cælorum ad horum pedes in-*
veniri ut Abrahæ. Isaaci, ut Ioseph, Isaiæ & aliorum Prophetarū,
ut Petri & PAVLI & aliorum Apostolorum, qui nuptiis operam
dederunt. Quod testimonium eo majorem meretur authorita-
 tem, quod scimus cum ipsis Apostolis Ignatium conversatum
 fuisse, quòd antem Epistola Ignatij sit adserit, non modo Hie-
 ronymus in catalogo, sed etiam ipse Bellarminus lib. de scrip-

In 1. Cor. 9.

ad ann. 57. n. 60.

part. 2. lib. 9. in Epist. ad Rom. cap. 12.

cap. 16. Eceles. n. 64.

B



Eccles. Excipit quidem Baronius ad annum Christi 57. vocem
παύλα esse supposititiam. Stapulensis comment. in Epist. ad
 Philippenses inter conjugatos ex Ignatio collocat Paulum,
 ad quæ Index expurgatorius Hispanicus, anno M. D. LXXI.
 pag. 69. concinnatus: *Hic adjiciatur hoc per Parenthesin (Nisi id sit Igna-
 tio male aliunde adjectum cum vetusta quadam exemplaria Igna-
 tij, Pauli nomen inter cæteros non habeant. Sed si antecedentia
 verba cum allegatis contendamus, nemini per ea ignoro esse
 licet S. Ignatium non pro cœlibe sed conjugato habuisse Pau-
 lum, eum enim cœlibes viros primæ Novi Test. Ecclesiæ enu-
 merat, Paulum inter eos non locat, Testimonium tamen & Ti-
 tum memorat. In pervetustis codicibus quale sit illud Angli-
 canum quod hodie videatur in bibliotheca apud Oxonienses
 reperiri vocem PAULI docet ad Ignatium Nicol. Vedelius ex
 Exercit. III. cap. 13. Thoma Jamesio, qui dicat se vidisse manuscriptum ex quo e-
 rasa fuerit vox Pauli & vox Apostoli ubi Ignatius dicit. *Et alij A-
 postoli. Quod opponimus Baronio dicenti in codices peregrini-
 ad ann. 57 nos & quos Romæ habeant nullam pravitatis labem irrepisse.*
 n. 64. Bellarminus lib. de script. Eccles. dicit de Ignatij Epistolis, si
 antiquæ Latinæ versiones cum Græco codice conveniant illis
 fidem habendam esse, sin secus minus habendam, jam verò an-
 tiqua illa versio Latina quam Parisiorum Schola evulgavit, an-
 no 1498. vocem Pauli habet, juxta Bellarminum igitur suppo-
 sitia non erit vox Pauli.
 ad ann. 57 Quam deniq; Baronius fortissimam ut putat conjecturam ducit
 num. 69. ex Pauli vitæ instituto antequam Christi fidem capesseret inito, vide-
 licet, Pharisaismo, cœlibatum requirente, huic rectè respondet Vede-
 c. 23. 6. lius d. l. ubi inter alia adducit locum ex actis quòd Paulus in Concilio
 exclamavit se non tantùm Pharisaum esse sed & Pharisaï filium. Huic
 Ignatij testimonio jungatur Eusebius qui lib. 3. hist. Eccles. c. 30. ex Cle-
 In Com- mente Alexandrino Paulum uxorem habuisse refert. Obijci solet ex. 1.
 ment. pro Cor. 7. volo omnes homines esse sicut & me ipsum sed illa verba Du-
 conjug. li- dithius sic interpretatur, ut Paulus ijs non perpetuam suadeat virgini-
 bert. tatem,*

tarent, sed quo d Paulo supra dixerat ad tempus abstinere velit à con-
suetudine uxoris jejuniij & precum suscipiendarum gratiã, atq; ita qui
uxorem habet, tamen non habere videatur. Licet alij putent Paulum
habuisse uxorem quæ mortua esset, unde Chrysostronus viduum vo-
car, quod tamen Cl. Calixto d.l. non placet, cum ad Apostolatam ve- de Virg.
nerit non provecãtã ætate ut Petrus sed adolescens. Sed ponamus Pau- cap. 2.
lum cœlibem permansisse, non fecit tamen illud necessitate coactus, si-
quidem dicit se potestatem habere circumducendi uxorem ut reliqui
Apostoli, sed ex liberã voluntate, uti id exponit magnus Theologus
Chemnitius in Examine Concilij Tridentini. Concedamus etiam Pau- part. 3, de
li cœlibatum, nihil tamen inde Clericorum conjugio & argumento cœlib. cap. 1.
quod ex Apostolorum exemplis teximus decedit, cum satis constet re-
liquos Apostolos uxores secum circumduxisse, quod sanè invictum
argumentum est pro ministrorum verbi conjugio, si enim sanctitati
Apostolorum nihil obfuit vivere in conjugio & si ob id reprehensi non
sunt, uti neutrum factum est, etiam hodie Clericis sanctissimis licet es-
se uxoris & ob id reprehendendi non sunt. Regeat Clingius Apo- Lib. 3, c. 37.
stolos quotquot ante uxores habuerunt tempore legis, eas reliquisse
quæcumq; carnale concubium, postquam ad minus apostolicum
adsciti sunt à Domino. Quæ etiam Bellarmini mens est, qui id probare Lib. 2, de
conatur ex Matthæo, ubi Apostoli dicunt ad Christum se omnia reli- Monachi,
liquisse inter quæ etiam conjuges numerat verum habuisse Apostolos c. 34.
uxores legimus, suo autem juri renuntiasse non legimus, allegatum e- c. 19, 27.
nim dictum id non evincit, reliquerant Apostoli alij negotiationes alij pi-
scationes quibus vitam tolerabant quia consistere simul non poterant.
Christo semper adesse & in telonio sedere aut in mari Tiberiadis pi-
sces capere, quæ autem simul consistere poterant illa integra manserunt,
uti de petro Matthæus dicit illum domum suam retinuisse & supra ex c. 8, 14.
Eusebio audivimus petrum uxorem retinuisse usq; dum supplicio affi-
ceretur, jam verò ipse petrus fuit qui ex Matthæo adducta verba ad
Christum locutus est. Sed nil opus diutius ijs immorari cum satis con-
stet Christum patris de matrimonio constitutionem redintegrandam Matth. 19
peculiari lege cavisse, ne quis uxorem dimittat suam nisi ea deprehensa v. 19.
fuerit in adulterio, aliàs manere illud. *Quæ Deus conjunxit, neq; homo, neq;
alia creatura, neq; angeli neq; principatus neq; potestates separare poterunt: Uti* In cap. 19.
Theophylactus summi legislatoris præceptum exponit. Huic præce- Matth.
pto

pro attendant adversarij. Dimittis uxore, ait Ambrosius l. 8. in Luc. cap. 16. quasi jure sine crimine & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, sed divina prohibet, qui hominibus obsequeris Deum verere. Qui igitur dicunt Apostolos à se uxores segregasse, probent eas adulteras fuisse necesse est; alterutrum sanè fateantur oportet aut Christum legem de divortio promulgantem non rectè docuisse, aut Apostolos uxores repudiantes non rectè fecisse, utrumq; autem cum vel cogitatu nedum dictu horrendum sit, maneat illud, Apostolos in conjugio vixisse etiam tunc quando munus Apostolatus sustinebant. Sed ne justo longior sim, hæc ulterius non persequar, quare etiam quæ ex S. patribus & historia Ecclesiastica pro ministrorum verbi conjugio testimonia & rationes quin & conjugatorum exempla producere institueram impræsentiarum omitto, Tibiq; optime frater ac suavissimæ tuæ Sponsæ felix conjugium animi precor, vosque longum ac bene valere jubeo. Hannov. a. d. X. Februar. anni c1o 1o cXLVI.

EPIGRAMMA

Ad Dn Sponsum

Clerice quid jactas vacuum sine conjugę lectum?
Quem tamen haut vacuum præcipit esse Deus.
Intereaque vaga vetitaque libidine totus
Ureris, & lustris prostibulisque vacas,
Scilicet hoc Satanæ clerum famulumque fateris
Qui thalamum damnat, prostibulumque probat,
Ast Hermanno tibi mens sanior, utpote fædam
Qui Venerem refugis connubiumque petis.
Scilicet hoc Christi clerum sobolemque professus
Qui lustrum damnat connubiumque probat.
Hinc igitur sobolem, fortunam, gaudia, speres,
Namque beat thalamos autor Jova pios.

Dr. Justus Müllerus, Pro R.

F I N I S.



Contenta hujus Libri:

1. Tractatus de Arte Nova, Calixti.
2. De Immortalitate Animae, et Resurrectione carnis, Egid.
3. De Purgatorio, q̄ Malmannū, Conringii.
4. De Conciliis, Summāq̄ circa ea p̄state, Egid.
5. Testimonia de necessitate B. operū ad salutē.
6. De Cultu S. Virginis Mariae ap. P̄ficiis.
7. De gratuita Iustificacōe corā Deo, Calixti.
8. De Primatu R̄ni P̄ficiis, Egid.
9. De Ecclesiā, Cellarii.
10. De Poenitentia, q̄ P̄ficiis, Egid.
11. Miscellanea.

ULB Halle

3

002 163 462



DE ART
DE IMP





15
74

M. MENTHONIS DEICHMANI
EPISTOLA,
PRO
MINISTRORUM
VERBI CONJUGIO.

Ad
HERMANNVM
DEICHMANUM,

Verbi Divini Ministrum RONNEBERGENSEM,
FRATREM:

Cum egregia ac lectissima Virgine
MARGRETHA,

Viri Reverendi, Clarissimi atque Doctissimi Dn.

M. JUSTI MULLERI, ECCLE-
siae ac Superintendentis Ronnebergensis
p. m. optimè meriti, nuptias celebrantem.



HANNOVERÆ,

Typis exscripsit Joh. Fridericus Glaserus,

Anno cl^o l^o c XLVI.